



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Gabella.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

13 **M**VLER habens virum prodigum, vel luforem, si abscōdit de bonis viri cōtra eius prohibitionem, vt provideat tempore necessitatis domui, nō committit furtum, nec tenetur in hoc ei obedire, quia esset quasi dare gladiū furioso: imō bene facit; negotium enim mariti prudenter agit.

14 **S**I religiosus, vxor, filius familiā rem aliquam furati sunt, possunt contra voluntatem superiorum illam restituere, si res extat. cap. de fur. l. in civilem rem, nisi maius scandalum immineret. Si verō non extat, sed ipsa res, vel pretium est versum in utilitatem domini, etiam si filius se vestiuit decenter, ad quod pater tenebatur, debet de bonis illius tantum restituere, etiam ipso contradicente. Si verō expendit inutiliter in aliquibus, ad quae superior non tenebatur, vt in vanitatibus, contra eius voluntatem, non potest restituere, sed si de proprio habet, restituat, aliter restituēdo furtum cōtra superiorem committeret. An fur possit repetere expensas factas in re furata, supra. Expen. l. §. quarto. Poena furis in legibus taxata in conscientia soluenda non est. Sat est enim restitutio cum pœnitentia, & damno, nisi per sententiam sit damnatus.

15 **S**I excommunicantur, qui acceperunt tale quid Ciceronis, nisi restituant, & sub poena excommunicationis, qui sciunt, reuelent, nunquid Petrus, qui accepit illud sub titulo recompensationis, vel quia erat in necessitate extrema, tenetur restituere, & qui sciunt reuelare? Respondetur quod si per verba generalia fiat hæc excommunicatio, non tenetur, quia alienum nō habet: si autem apponitur etiam sub titulo recompensationis, tunc vel Petrus timet reuelando cogi ad restituendum, & sic non tenetur, quia sic excommunicatio contineret intolerabilem errorem: si autem non timet, debet reuelare secretē tanquā patri, quia sic non habet errorem intolerabilem: quia in tali casu non intendit, nisi scire. De scientibus, vide supra,

Excommunicatio. §. 31. & 32. & infra, Inquisitio. §. 10. Aliqui tamen aliter dicunt, sed hanc determinationem sequere tu.

16 **C**ONSENTIENS furto, sine cuius consensu furtum non fuisset commissum, nō solum mortaliter peccat, sed tenetur ad restitutionem, si alij nō restituant. Secus si sine consensu furtum commissum fuisset, quia licet mortaliter peccauerit consentiendo, non tamen tenetur restitutioni, secundum Rich. 4. senten. distinct. 15. & intelligitur capitulo votum, secūdo, questione prima. Qui verō non consentit, tamen habet ratum, & ex hoc non fit restitutio, ultra mortale tenetur restitutioni, quia licet non fuerit furri causa, est tamen causa non restitutionis. Idem dic, quando res non fuisset furata, nisi præsumpsisset fur talem habere ratum: si tamen ratum non habet, non credo teneri, sed furi imputetur tantum.

17 **F**URUS suspendendi, si eos pœnitent, possunt recipere ecclesiastica sacramenta, & humari in loco sacro, quia hoc in iure non prohibetur. Si tamen in aliquo loco specialiter hoc esset prohibitum, de licentia principis potest fieri. supra, Duellum. §. 6. De materia furri, vide multa in ver. restitutio, per totum. An vtens re deposita committat furtum. supra. Depositū. §. 10. Non licet furari pro faciēda eleemosyna. e. forrē aliquis decimo quarto, questione quinta, nisi in extrema necessitate, vt supra. §. 9.

## GABELLA.

1 **G**ABELLA, pedagiū, guidagium, vectigal, tallia, collecta, penio, census, præstantia, impositio, duana, angaria, & perangaria, exactiōnem publicam important: aliquando iustam, aliquando non: licet differant inter se. De his distinctē vide Sil. ver. Gabella. l. in princi.

2 **G**ABELLA, quæ & vectigal dicitur, id est, exactio pro rebus, quæ vehuntur de loco ad locum, multipliciter iniqua est, secundum Caictanum, ver.

ver. vectigal. Primò, si imponitur à non habentibus potestatem, vt à tyrannis. Secundò, quando plus grauant minus grauandos, & non seruant xqualitatem proportionis: & hæc apparent, quando exigitur pro his, quæ ad vsum proprium vehuntur, idè tales sunt iniquæ, & exigentes vectigalia tam pro his, quæ ad vsum proprium, quàm pro seminibus deferuntur, & ad fiscum, pœna capitulis puniri debent. cap. de vectigali. l. v. nuersi. & ad horum solutionem nullus tenetur.

3 **S V N T** iniqua, quando nõ exiguntur pro vtilitate publica, sed pro bono proprio principis sunt imposta, & cõsequenter non obligant ad solutione in conscientia.

4 **Q V A R T O**, sunt iniqua, quãdo imposita fuerunt pro aliqua necessitate: vt pro muris reparandis, & cessante tali causa, adhuc exigunt: quia princeps vult sic vel si pro aliquo fiendo, & illud non fit. Sunt enim manifestæ, & violentæ rapinæ, nec in cõscientia obligant non soluentes.

5 **Q V I N T O** si imponatur tã super alijs, quàm super his, quæ vehuntur negotiationis causa, ex l. omniũ. ca. de vectig. reputantur iniqua vectigalia ipso iure.

6 **GABELLAS**, quæ iustæ sunt ex omni parte, fraudare, ex genere suo mortale est, quia reipub. nocumentum inferitur, & non tantum ex inobedientia, vel ex pœna apposita contra transgressores. Neque defraudantes huiusmodi, quando iusta sunt, excusantur à peccato, propter pœnam appositam, neque propter hoc, q̃ ementes gabellas sciunt, quod multi fraudant, idèo vilius emunt: quia neq; iudas excusatur à furto, licet Christus sciret. Et licet haec multæ fraudes, tamen dicitur: Vt autem homini, per quem scandalum venit. Propterea tales tenentur restitutioni: & si nolunt restituere, non absoluantur.

7 **VECTIGALIA**, salinaria, pedagia, & huiusmodi institui non possunt, nisi ab Imperatore, Rege, Conci-

lio, Papa etiam solo, antiqua consuetudine, cuius principij non extat memoria. capitulo, super quibusdam. de verborum signification. à ciuitate etiam habente merum & mixtum imperium, non recognoscente superiorem aliquem in temporalibus: quia eadem ratio videretur de istis, & de Regibus.

8 **I M P O N E N T E S** noua pedagia, vel augentes aliqua sine legitima auctoritate, mortaliter peccant peccato rapinæ, & sunt excõmunicati quò ad noua imponentes, non autem quò ad augentes. Excommunicatio vñ decima.

9 **E X I G E N T E S** gabellas, seu vectigalia iniusta manifestè, mortaliter peccant, etiam si ex obedientia hoc faciant. Si autem dubium sit an sint iniusta, excusantur exigentes ex obedientia: non autem alij, quia expõnunt se periculo, secundum Caietanum. vbi suprã. Quomodo sunt excõmunicati, suprã, Excommunicatio 11. contra exigentes iniusta pedagia.

10 **GABELLAE** huiusmodi à clericis, & personis ecclesiasticis, de rebus, quas nõ negotiationis causa deferunt, nõ possunt exigi. c. quanquam. decem. lib. 6. & contra exigentes est lata excõmunicatio, suprã, Excõmunicatio 11. & communitas est interdicta. vide ibi. Et dicit Caiet. ibi suprã, quòd tot requiruntur ad hoc, quòd gabellæ seu vectigalia sint iusta, quòd vix vlla iusta sunt, & propter hoc dicitur, in dicto cap. quanquam. quòd dictæ exactiones merito sunt damnatæ, quia iniustæ.

11 **S V N T** etiam iniustæ quando exigunt sub nomine collectarum, vt excusationem habeant. non enim iustum est pro rebus, quæ ad vsum vehuntur, collectam accipere. Si tamen communitas aliqua, pro pace, & quiete suorum ciuium, collectam suis ciuibus, vel hominibus (non autem forensibus) imponit, seruat iustitia distributiuam, potest tolerari. Ex quo ipsi sic volunt, nulli sit iniuria.

It col-

Et collectæ à solis subiectis exigi debent, gabellæ autem, & vectigalia ab omnibus trāsēntibus per portam, vel passum. Vnde aliquando licet accipere gabellam, & non collectam. Et in impositione collectarum ad hoc quod iustæ sint, & durent, debent adesse causæ suprâ dictæ, ex parte finis, & vsus: & sine illis non sunt iustæ, nec obligant in foro conscientiarum. ex Caietan. suprâ.

<sup>22</sup> **C**AUSA iusta ponendi huiusmodi grauamina, sunt publicæ necessitates, quas Bartol. in leg. vniuersis. ca. de vectig. nominat stipendia, pontes, publicas domos, defensiones stratarum publicarum contra prædones, vel piratas in mari, vel fidei, vel patriæ, contra infideles, & hæreticos, & similia. Facit. capitul. Si quis Romipetas. 24. quæstione tertia. quæ tamen onera debent esse moderata: Contra quod communiter hodie fit in Italia, cum ferè omnia sine moderamine, aut iniuste exigantur.

<sup>23</sup> **Q**UOD homines conducunt per vias, locantes operas suas, de suo guidagio possunt mercedem accipere, & exigere: secundum Panor. in d. c. super quibusdam. non autem qui tenentur ad hoc, vt domini terrarum, qui tenentur territorium securum tenere, & cum non faciunt iniuste, impositiones recipiunt.

<sup>24</sup> **L**ICITAE huiusmodi gabellæ, pedagia, & c. iuste imposita, possunt, & debent solui, si fiat id propter quod sunt posita: secus si non fiat, secundum Tho. secund. lib. de re. principi. Et dicuntur immoderata, quando soluitur vltra tertiã octauæ partis: secundum Bald. c. de iur. anul. aur. l. 2. & qui huiusmodi iniusta non soluunt, non peccant in conscientia.

<sup>25</sup> **F**RAVDANTES iustas gabellas peccant, vt dictum est, & licet teneantur restituere, quod fraudarunt, non tamen tenentur soluere pœnam, nisi postquam fuerint condemnati. infra, Pœna. §. 1.

<sup>26</sup> **E**XIGENTES huiusmodi gabellas, & c. vel exigi facientes, tenentur de

furtis, quæ ex eorum incuriâ sunt in territorijs suis, dum non faciunt, quæ facere tenentur. c. dominus. 23. quæstione secunda. aut tenentur malefactorem exhibere. l. ne quid. ff. de incendi. naufrag.

<sup>27</sup> **A**N conducens gabellas, & huiusmodi propter guerras superuenientes remissionem mereatur accipere, vide Sil. gabella. tert. §. 13. infra, Locatio. §. 16.

<sup>28</sup> **Q**UANDO gabellæ sunt dubiæ, an sint iustæ, sicut communiter hodie sunt, vt diximus, cōfessores non debent cogere cōfidentes ad restitutionem, quia exponerent se periculo furtipedi à pœnitente, quod suum est.

<sup>29</sup> **A**NGARIA. & perangaria sunt iniustæ compulsiones, siue coactiones secundum omnes, siue sint obsequia personalia, siue personalia, & realia, vt quis proprijs expensis laboret. de immu. eccl. c. non munus.

<sup>30</sup> **M**VNERA dicuntur, quæ necessario subimus, lege, vel imperio. l. munus. ff. de verborum significatiõne, quæ aliquando labore tantum corporali explicantur, aliquando sumptibus proprijs, aliquando utroque modo simul. ff. de muneribus, & honoribus. l. final. §. patrimoniorum. Aduertere debent, qui collectas, & huiusmodi onera imponunt, vt pro necessitate faciant, & iustitiæ distributiæ seruetur proportio.

## GENERALIS

clausula.

<sup>1</sup> **G**ENERALIS clausula continet omnia, nisi testatoris sententiã contraria appareat. ff. de pen. legat. li. qui penum. Nec videtur generaliter quis concedere, quod specialiter non est concessurus. c. quæ res pignori obligari possunt. l. 1. in gloss. Et generali per speciale derogatur. de rescript. c. pastoralis.

<sup>2</sup> **I**n generali mandato multa sunt, quæ nõ intelliguntur, nisi exprimentur. capitulo 1. in glossa de officio legari. Et in generali locutione persona loquens intelligitur excepta. ca. petitio. in gloss.